

quatuor partes, ex quibus *Prima* continet res gestas adhuc in deserto Synai. In quo loco manserunt fermè per integrum annum: & protrahitur vsque ad cap. 10. vbi primò castra mouentur ex Synai in Pharan. Sunt autem hi præcipuè loci. 1. quatuor prioribus capitibus describitur populi numerus, tum militum, tum principum, tum sacerdotum. Primo capite numeratur populus ad bellum aptus. 2. docetur ratio disponendi castra. 3. numerantur sacerdotes & Leuitæ secundum suas familias. Atque ab his tribus propriè capitibus nomen acquisiuit Liber Numerorum. 4. explicantur officia Leuitarum & sacerdotum secundum quatuor familias Patrum. 5. egit de legibus pollutorum: vt de lepra, de mortuo, de polluto femine, de Zelotypia, quomodo hæc examinanda sic, & superiores ex castris arcendi. 6. de Nazaræis. 7. de principum oblationibus in dedicatione tabernaculorum. 8. pontificis officia describit: vt circa candelabrum, quæ sit adhibenda cura: de ordinatione Leuitarum. 9. de Paschate & eius ritu. Atque hæc in prima parte.

II. Secunda pars, à 10. capite, vbi ex Synai deserto mouentur castra in Pharan, vsque ad caput 20. vbi proficiscuntur in desertum. Huius partis hi fermè sunt loci. 1. de ipsa profectioe & proficiscentium ordine. 2. de his quæ in itinere contigerunt: vt est murmur postulantium carnes. 3. Aaronis &